



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

3. Aurea Eucharistiæ Hierotheca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Sept. cap. 4. tuius quo citius. Hinc gratulatur Sapiens, Raptum esse iustum, ne malitia mutaret intellectum ejus. Hinc & Angelus mori timentem increpans: Pati, ait, timeris, exire non vultis, quid faciam vobis? Fidem resurrectionis non habet, qui ad meliora non festinat. Si domus ruinam minetur, nonne prompti ex ea migramus? Si navis inter procillas periclitetur, nunquid animo totum sumus in portu? mundus hic ingentibus ubique ruinis fatiscit, ubique fluctus & procellæ: quin ergo portum cogitamus, quin migramus ad patrem? ubi nos charorum turba expectat, de sua salute secuta, de nostra sollicita. O beati mortui qui in Domino moriuntur, quia in Domini sinu quasi morientes conquiescunt, & sic quiescendo suaviter in mortem obdormiscunt. Ita Stephanus inter ipsos sanctorum nimbos, in tanto lapidantium tumultu & fremitu, obdormivit tamen in Domino. Ita Lazarum amicum suum Christus obdormisse dixit. Ita & Moses servus Domini mortuus est jubente Domino. Et sicut mater infantulum brachiis suis mollementer deosculatur, & sic in lectulo taciturna molliter reponit, ita sunt qui dicant, scripturæ sensu Moysen ceu dormientem infantem a Deo per osculum & amplexum in sinu Abraham quasi in lectulo collocatum. Nimirum, cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Ter beati sunt hi mortui. Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos, tanquam famuli suum Dominum, filii suum patrem, nobiles suum principem, sequuntur usque ad tribunal Dei, deducunt & comitantur usque ad supremam Dei curiam, quod solum nobiles hi famuli intromittuntur. Quisquis ergo ad vitam prædestinatus est, mortem ut optimum naturæ inventum prædicat, cum non aliâ viâ illum se perventurum sciat, & quia ejusmodi homo nunquam non paratus est mori, sic secum ipse ratiocinatur.

§. II.

Quid mori trepidum? iter patrum, imò omnium latam, eritâque semitam ingredior, quid solus ego mihi nescio quid aliud malum? libens faciam, quod facerem etiam nolens: scio, quidquid sit à volente, sit levius, & definit esse necessitas, cum accedit voluntas. Sed nec tergiversandi causam habeo, cum esse desino, quod invitus fui, mortalis. Ideo corpus hoc accepi ut redderem, & ideo reddam, ut denuo recipiam cum fenore. Hactenus à conspectu Dei mei detentus sum per morales has moras, quibus illi vitæ meliori præluditur. Nam lux ista quam velut extremam muli reformidant, æternæ natalis est: venit iterum qui me in lucem reponat dies, & ideo æquissimo animo, rediturus exibo. O quàm letus amplectar diem, qui meo me domicilio assignet, qui me hinc ereptum, & omnibus laqueis exutum restituat paradiso! In multis me reum non nescio, sed misericordia tua, ô mi Domine, Occanus est & immensissimum mare. In hunc ego me Occanum, in hoc mare præcipitabo, cum me voluerit mors de hoc vitæ colloquio deiecit. Sic unico mei ipsius in finem misericordiae jactu, omnes vitæ molestias abrummam. Et utinam mors nullas in via moras nectat: quandoque veniat, volentem me inveniet, & paratum quiescere. Non sic odi quietem, ut respuam malorum ferias. Et cur non potius tunc gaudeam, cum vitam hanc miseriarum innumerabilem officinam licebit claudere, mortis & fortunæ jugum excutere, diem ordinari nullâ nocte finiendum. Felix nuncius cum me Rex meus vocaturus est, & ex hoc carcere liberaturus: multa faciam solutus quæ vinculis nullo unquam studio didicissem. Avicula, aperta cavêa non ejicitur, sed evolat, sic ego in apertas illas & cætelas plagas libens emigrabo, vitæ jam pridem satur. De loco mortis meæ, de tempore nil angor penitus. Faciat ille qui me fecit, quidquid vult. Voluntas illius unica mihi vitæ mortisque est regula: nil mali ab eo aut acerbi metuo qui ipsa est bonitas.

Tom. I.

A Et nonne in figuli manu est, vasculum levi rota effingere, & idem frangere? Vasculum ego sum à magno illo Figulo: quid querat, si qui me finxit, velit frangere, imò refingere & ex misero reddere beatum? vivere me vult? quamdiu vult, volo. Vult me mori? nullas mortis inducias nec ad momentum posco. Initium meum & finis ab illo sunt, quidquid ille immiserit, excipiam non libenti tantum, sed & hilari fronte: mihi vivere Christus est Philip. c. 2. & mori lucrum. Amo te, ô mi amantissime Deus, cupio. vers. 21. que ardentius amare; hac amoris flammâ cor meum penitus liquefiat: nihil extra te me beat. Et quando, mi Deus, & quando ad te hinc evolabo? sequor te, benigne parens, sequor, & eo promptius cum propius ad te vocas.

§. III.

I Ta sentit, qui alibi vivere, & cum Christo esse cupit: neque istud novi quid est. Nam sicut medicus, inquit Theophylactus, cum videt egrum fastidire cibos & phar-maca, prior ea ipse sumit, ut egrum ad eadem sumenda inducat: ita Christus prior ipse gustavit mortem, ut eam gustare Christus non horreat Christianus. Cur jam, mi Christiane, etiam natus timidis sis, & mori te sentias, non priorem illum, quem loquentem audisti, amuleris, & intrepido ac fideli animo tu quoque in has voces erumpas: Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo: calix iste amariore quidem est, illum tamen bibit ipse meus Servator & ex cruentâ cruce eundem mihi exauriendum propinavit. Calix iste fatale mortis poculum est, quod Christus sponte, quod omnes omnino homines perhauriunt inevitabili necessitate, cur ego hoc solus recusem? quisquis cepit vivere, desinere debet, ut denuo incipiat, & quidem illam vitam quam nunquam desinat. Quid ergo tibi vis vane timor, quid recusas damnosâ mœsticia: calicem quem dedit mihi Pater, quem Christus mihi misit, & ipse bibit, non vultis ut bibam illum? mortalis ego sum, & mori non didicerim? Cum apud Alexandrum Macellonem gravius decumbentem aliquot malè anxii amici, Philippum medicum de veneno porrigendo infimulassent, Rex Philippum cum paratâ portione ad se venientem, sic excepit: alterâ manu amicorum illi litteras porrexit, alterâ pharmacum ab illo accepit: dumque medicam portionem ori admo-veret, oculos in Philippi vultu defixit, si quas fortè in illo, ob commissum toxicum, conscientie notas deprehenderet: cum egregiam in se medici fidem & facie discerneret, intrepidus porrectum poculum perhaurit. Ita & ego faciam: poculum quod me in quietem & longiorem somnum daret, Jesus meus, medicus & Servator meus mihi temperavit, & porrexit ebibendum: ego, dum illud exhaurio, oculos ab hoc meo medico non dimittam; vultum meum firmabo in crucifixi Domini mei vultu, in quo summum in me amorem inscriptum legam, simulque constans & imperterritus hunc calicem perhauriam, qui tantò plus habet salutis, quò plus amoris. Ita, mi Christiane, mors ipsa cum venerit, facile vincitur, si prius quam veniat, semper cogitur, nunquam timeatur.

III. PRÆDESTINATIONIS

S I G N V M.

S Y M B O L V M III.

A VREA EYCHARISTIE HIEROTHECA. Quâ Symboli exprimitur, Frequens Sacramentorum, Confessionis & Communionis usus. Olim, erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis. Observatum est autem luculenter, quò magis hic Ecclesiæ præfessionis & mœvæ mos intepuit, eò magis ardor spiritus, charitatis Communio-ignis, sanctitas omnis refrigit. Hic omnes cacodæmonis usus, & nis altus & conatus mirifice desudant. Hoc agit, hoc laborat.

Z 3

Demon-
borat, ut
plurimos
ab eorum
frequenti
usu retra-
hat.

laborat impigre veterat, ut à frequenti Eucharistia usu quam plurimos retrahat. Et quos ille non ponit obices? quæ non fingit impedimenta? quot obstacula molitur? nunc fidei dubia ingerit ubi non auditur, fucata reverentiam persuadet, aut majorem in eâ re gustum, si rariùs fiat. Nunc plurimorum consuetudinem in exemplum trahit, qui etiam boni Christiani sint, licet hic infrequentes. Modò sermones hominum & dentes opponit, modò molem negotiorum. Jam inutilitas evagationes animi, angores conscientia, jam inimicitias & alterna inflammata odia. Huic aridam reddit mentem, & ab omni caelesti sensu excludit, isti præparationem efficit molestem, difficilem, tædio plenam. In alium totos variarum cogitationum exercitus immitte, ut vel sic viam intercludat ad divinum hoc epulum: sunt, quos nescio quo religionis pretextu decipit, ut saltem differant, quod non censent omittendum. Ita mille fucos facit & tricas trices necit malignus impostor; ita de die in diem confessionis & communionis sacramentum differtur, ita mora moræ necitur, propositum proposito adjungitur, & dies alius post alium constituitur, ita hebdomades eunt & menses & anni, cum ad Christum non nisi rarissimè, & ferè inviti ac coacti venimus.

§. I.

Luc. cap. 14.
vers. 18.

ET cæperunt simul omnes excusare. Hic villam emit, hic boves; iste uxorem duxit, nemo vacat, cum ad Christum veniendum. Palliolata hæc est & honesta titulo, sed re non parva insania. Et cur nec ad horulam quidem, curas villæ, boves præsepi, uxorem fornaci relinquimus, & nos ea agimus, quæ salutis nostræ sunt? Si ad colendo agros, aut ad vineas pastinandas vocemur, esset cur dormire mallems quàm fodere: at iussi discumbere, & unâ cum Christo convivari, nec alium cibum quàm Christum ipsum sumere, quod fugâ tam agresti nos subducamus, hoc semum demencia est insignis aut impudentia. Deum iratum si fugeremus, Adam nepotes nos fateremur, sed Deum misericordem & placatum, Deum vocantem & ad paratissimam caelestiumque deliciarum plenissimam mensam suavisimè invitantem sic averfari, hoc ferarum est non hominum. Sed ut excusationes nostræ suos habeant colores, culpam & torporem nostrum non fœdis aut illicitis præteximus, non furta aut adulteria causæ nostræ, sed honestissima quæque obtridimus. Quid enim mali, conjugium inire, rem familiam curare, pecora aut prædia emere? & quid verò in his, mi homo, boni est, si nos hæc avocent à summo bono, ab animi salute? Sic curandum est corpus, ne pessum eat animus; sic emenda est villa, ne perdatur cælum. Ad cenam magnam vocamur, tantisper seponenda sunt cetera omnia, dum adsumus vocati: quiescant interim & villa, & boves, & uxor, negotia cuncta curæque sileant, dum nos in cenâ hac magnâ, cum Angelorum rege loquimur. At nos eo sæpe impudentia progredimur, ut non vereamur dicere: *Non possum venire*. Veritùs diceremus: *Nolo venire*. Ita pergit, mei Christiani, ita vobis Deum conciliabitis. Ah, miserabiles & nemini quàm nobismetipsis damnosiores? Algemus & ignem fugimus, ægri sumus & medicum spernimus, cum tantò magis medico egeamus, quò minus agros nos esse sentimus: nimirum cepas & alium ore patulo inhiamus, fastidimus suavisimum Manna. Edixit olim Deus per Moysen, colligeret Manna populus per singulos dies, solo sabbato ferietur. Et nos nostrum habemus Manna, idque longè præstantius; illo fuit licet dum vivimus, & ulque dum mors nobis sabbatum indicat. Sed & hic patissimus miseri Adam, ait Gerson, è ligno vitæ edere noluit cum potuit: jure punitus est; non potuit cum voluit. Sic & nos dum possumus, adeo contumaciter nolumus, ut ad aliorum convivato-

Euchari-
stiam non
sumere est
insignis
dementia,
Genes. 3.
Et Deum
vocantem
averfari fe-
rarum est
non homi-
num:

Ideo ne-
mini quàm
nobismetipsis
damnosiores
sumus;

Exod. c. 16.
v. 4. & 5.

rum mensas alioqui promptissimi conflamus, solùm ad hanc divinam Christi mensam, non nisi ægre & raro pertrahamur. Sic in nullo fermè quàm in salutis nostræ negotio somnulosius agimus, in ceteris alacres, hic nullo pigramur. Ad formicas Deus pigritiam nostram ablegans: *Vade, inquit, ad formicam & piger, & discite sapientiam*. Illa cum naturæ ductu præciat, cibos hieme non posse colligi, æstate querit, quæsitamque annonam servat hiemem. Hoc & nos studiosius deceret facere. Immortalitatis alimoniam proponens Christus: *Si quis manducaverit, inquit, ex hoc pane, vivet in æternum*. Ad æternam hanc vitam prædestinari, quamdiu mortis hiemem non superarunt, vitam hunc cibum assidue querunt. Et hoc Eucharistia ipse voluit qui dedit sanctissimum istud Sacramentum, ista frequenter non tantum adorandum, sed & manducandum, ut cique cibum: cibo identidem repetito vitam tuemur corpori, alioquin ab insito nobis calore consumendi; cibo etiam frequentius sumpto animæ servanda est vita, aliter ab impuro concupiscentiarum æstu pessimè depalcendi. Puro concupiscentiarum æstu depalcendi. Ideo D. Innocentius monet: Cavendum esse, ne, si minimum hujus Sacramenti sumptio differatur, mortis periculum incuratur. Idem omnino monens. D. Hilarius: *Timendum est, inquit, ne diu abstractus à Christi corpore, alienus remaneat à salute: qui peccare quieverit, communicare non desinat*. Sed hoc ipsum est quod volumus, hæc nostra sunt impedimenta: communicare potius desinimus, quàm peccare censemus; hanc potius mensam vitamus, quàm perplantiam nostram; ad sanctos castosque mores nec sic quidem suavisimè duci sustinemus. Serpenti olim, Deos nos fore mentienti, credidimus; nunc Deo nos in se mutandos affirmanti vix fidem habemus. Promittit Christus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Audiat promissum, at lentissimè credimus. Præcipit Christus hoc faciendum in mortis suæ memoriam, nec dubium quin eam velit esse quàm creberrimam: præceptum nobis videtur æquum, sed, contra quàm Christus voluit, non crebè exequendum. Suadent omnes Sancti Patres, hanc mensam frequenter accedere; consilium illorum non displicet, sed prævalet consuetudo nostra. Prælucent tot pii homines exempli sui faciem; videmus, non sequimur.

§. II.

SI, quoties Eucharistiam quis sumit, toties mille nummum aureorum adjiceretur auxilium, suavisioris verbis nil opus foret amplius, rationes has aureas nemo non caperet; Arcenda esset multitudo non accerfenda. Heu humanam cecitatem! aurum cernimus, & capimus; latentes Eucharistia thesauros quia non consideramus, spernimus. Arenalium pauxillum est omne aurum, si huic gemmae conferatur; pretium illius nemo satis æstimaverit. Eucharistia peccata leviora delet, gratia leviora cavet, impetus animi vitiosos enervat, intelligentiam illustrat, voluntatem incitat, conscientiam exhilarat, contra cacodæmonem armat; in adversis ne deficiamus roborat; in prosperis ne cadamus adjuvat, in armat, meliore tramite ut progrediamur confirmat; Eucharistia dat pignus futuræ gloriæ, & cum eo simul mortis futuræ contempnum, cæli desiderium, affectuum moderatio, virtutum horrorem, virtutum amorem, sui ipsius victoriam, in rectè ceptis perseverantiam.

Sed animus, inquit, mihi aridus, vanus, frigidus, immundus est; non audeo accedere. Aut nulla hæc est excusatio aut mala, eoque minis differendus accessus, quò magis es talis. Immundus es? accede; Eucharistia excusatio est puritatis. Eger es? medicina est, & certissimum quia Eucharistia nem morborum antidotum. Eurus? en paucis nem Angelorum. I etali torpes gelu? ne differ, hic ignis est, qui te hostes exercent? ne diffide, hic panoplia & armamentarium est instructissimum. Tristis es & morosus? accede, hic antidotum.

rore consumeris? hinc vinum est quod lætificat cor hominis. Delicias quæris? nusquam veriores sunt, quam in hoc epulo, quod delicias præbet etiam regibus. Patriam adspiras? in viaticum. Pretiosior tibi datur viatica cæna ad cælum tendenti, quam Eliæ ad montem Horebum eunti. Quod si sanguinis fluxum stitit illico, Christi vestis vel tacta tantum, quid Christi corpus non poterit? Sed indignus sum, inquis, qui toties pascari tam divino cibo, nec dignam adversus illum reverentiam exhibere possum. Obsecro, Christiani, pigritiam nostram reverentia nomine ne coloremus: Melius est ex amore accedere, quam ex timore abstinere, inquit D. Thomas. D. Ambrosius, verba Domini, Panem nostrum quotidie. Num da nobis hodie, de Eucharistia interpretatus: Si quotidie accipis, est panis, cur post annum illum sumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi proficit. Sic vive ut quotidie merearis accipere: qui enim non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Si enim quotidie accipis (inquit loco alio) sanguis Christi effunditur, in remissionem peccatorum effunditur, deo semper illum accipere, ut mihi peccata dimittantur, qui semper pecco, semper deo accipere medicinam. Gennadius

Massiliensis: Quotidie, inquit, percipere Eucharistiam, nec laudo nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor. si tamen mens sine affectu peccandi sit. Quæ præcipi possit facilius præparatio, quam affectum ad flagitia ponere, hoc est, deinceps Deum odisse nolle. Certè nimis illiberalis est in sumum conditorum, qui hoc pestilenti ad turpitudinem affectu carere non vult in gratiam sui conditoris. His talibus non immerito iratus paterfamilias: Dico vobis, inquit, quod nemo vivorum illorum gustabit cænam meam. Quid ais Domine? illimet ipsi sunt, qui cænam tuam gustare nolunt, & id tu eis in contumacia supplicium statuis? ita proflus, id quod ipsi volunt, sit ipsis in pœnam, & pessimum eorum velle, sit ipsis in supplicium. Cum gravi fame laboraret Samaria, & Eliseus vilissimam annonam rei frumentaria propediem futuram promitteret, unus è regis satellitis ut vanum hoc varicinium irridens: Si nubes, inquit, prægnantissima frumenta pluant, nunquid ideo farina tam vilis erit pretii? Cui Eliseus: Videbis, inquit, oculis tuis, & inde non comedes: omnia ex ordine sunt facta. Multorum hodieque pœna hæc est: vident divini panis abundantiam, sed inde non comedunt. Videbis, frigidissime Christiane, sub re divinâ panem hunc in altum attolli, sed inde non comedes; videbis per plateas ad agros deferri, sed inde non comedes; videbis plurimos illo in templis refici, sed tu inde non comedes: exclusus es ab hac mensa, quia teipsum exclusisti.

§. III.

At verò prædestinati, velut germani Dei filii, hoc pane diu carere, gravissimam patris iram interpretarentur, ita nullam illius fruendi occasionem negligunt: non enim nesciunt quam benigne providentissimus Deus cunctis animantibus suum cuique cibum parat; aquilis aves, leonibus feras, equo avenam, bovi fœnum, gramen ovibus, ceto pisces, homini panem è terra; si qui hominum velint esse filii, panem è cælo. Hunc illi cælestem, hunc filiorum, hunc Angelorum panem, magno desiderio, submissâ reverentiâ, ardente affectu sumunt credentissime, maluntque piè impudentes filii quam malè verecundi hostes videri. Ex horum prædestinatorum numero si quem Christus in magnâ hac cæna sic alloquitur: Attende quid amore tui pro te fecerim. Spinas in capite meo numerabis, non item dolores alios in corpore. Flagella & clavi corpus meum faciunt, at verò cor meum injuriæ innumeræ. Ipsam panem mortem pro te passus sum in horto, angores me prius flagellarunt quam milites. Tuum jam est cogitare, quid hostes fecerint, cum etiam amicissimi læderent. Scis, in quam duro lectulo pro te mortem objerim.

Amor meus (ut disceres quantus fuisset) acerbissimâ omnium & ignominiosissimâ morte defungi voluit, sed ignominiosior illâ crucis & acerbior reperi non potuit. En, pro te mortuus sum, & milles pro te mori non reculassem. Tu verò pro me quid patieris? vis ut meus in te amor sit perpetuus, fac ut sit mutuus, amantem te ama. Ego te amavi ad mortem, ad crucem usque, & quousque tu me amabis? Quis prædestinatorum illorum non sincerissimis infusus lacrymis respondeat? Etiam ad mortem usque, ô mi amantissime Domine, etiam ad ipsam usque crucem te amabo, si sic tibi placeat. Et quis mihi tribuat, ego moriar pro te, mi Jesu, ô Jesu mi suavissime? quis ego sum, ut pro te mori sim dignus; & quis tuus hic est amor, ut hæc pati, ut sic mori pro me, sine me, ô vita mea, volueris? Hi tales gemitus, castissima hæc suspiria crebræ communionis, epulatoria solent esse colloquia; sic animus Deo suo intimè unitur.

Et idcirco communionem crebram (modò sinceris) ea habeat affectus, etiam non ardentissimos) magnum prædestinationis signum ponimus. Verum, quidquid vel libri clament, vel cathedræ, pars magna Christianorum tam gravi malæ consuetudinis veterno premitur, ut nullis piorum exemplis, nullis sanctorum monitis excitari queat, & ad frequentioris sacramentorum usum permoveri.

O Christiani quæ glacialis rupes, quod letale frigus pectora vestra constringit, ut sic refugiat amoenissimum hunc solem? non advertitis, hoc meras esse techinas cacodæmonum, qui omnem divini amoris ignem in nobis cupiunt extinctum, ut hoc animi pessimo furore obrigescerent, vivamus velut mortui, pereamus in sordibus, nec in illam vivorum regionem perveniamus? At qui perseveranter Christum amat, nil magis quam sæpe cum Christo esse desiderat, ut verissimè dixerit Cassiodorus: Inaudita est dilectio quæ amicum amat, & præsentiam ejus non amat.

IV. PRÆDESTINATIONIS

SIGNUM.

SYMBOLVM IV.

ALTARE NVDM ET DEVELATVM. Per quod Symbolum IV. significatur Renuntiatio omnium. Proclamat Servator noster: Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Renunciare jussit omnibus, suasit relinquere omnia. Ita dicat qui Christiani sanguinis est: Pauperimus esse malo quam Dei inimicus; malo bonis omnibus, quam divinâ gratiâ spoliari.

Paupertas multos fecit mercatores non atomatum paupertas aut panni, sed cæli. Simile est, inquit Christus, regnum cælorum homini negotiatori, querenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosâ margaritâ, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam: mercator iste non damnum censet, sed maximum quæstum, omnes opes suas amisisse: imò certè non amisit, sed vendidit, quia pro illis maximi pretii gemmam recepit. Reculas suas dedit, & Christi chirographum acquirit, quo uno erit olim beatissimus: aurum contempsit, & totum sibi cælum jam habet oppignerat: prædiola sua non deseruit, sed paratus erat deserere, & amplissimum sibi regnum comparavit. Qui margaritâ habet, inquit Chrysostomus, novit se divitem esse, etiam si ignotum illud sit, cum parvo in loco margarita recondatur. Certè negotiandi causâ vivimus, non otandi. Neque ullus tam rerum egenus est, serere: qui hanc gemmarum mercaturam nequeat facere; Nos Lib. Evang. enim querit Deus, non sine nobis nostra, inquit Augustinus. 99 in Matt. Neque verò etiam ullus tam abundans rerum est & dives, cui difficile videri debeat, emendis unionibus illis, parvi facere sua omnia. Mercatus hic non exigit, ut opes amittat, sed ut paratus sit, si necesse, amittere; negotiatio enim hic